

Collegij Theologici

Exercitatio VII.

De

Lapforum miseria,
& pernicie, nec non de Servo
Hominum arbitrio.

Quam

Divinâ aspirante gratiâ,

In Illustri & Famigerosissima Universitate Wittebergensi,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi,

Dn. JOHANNIS SCHARFII,
SS. Theologiæ Licentiati, ejusdemq; Profefs. Publ. Ex-
traordinarii, Logices item & Metaphysices Ordinarij,
Dn. Præceptoris & Fautoris sui omni observantia
studio colendi,

Academici exercitii gratiâ,

Placido Dn. Collegarum examini subjicit

JOANNES NICOLAI f. Naxschovvio-Danus,

Ad diem 29. Januarij Anno post Salutiferum tñs Θεοτόκου
partum M DC XLV. horis & loco solitis.

Descripta Typis

MICHAELIS Wendel anno & loco jam determinatis.

Coll. diss. A
215, 30

Diss. A 215(30). Praesidentis Maximilianus A. Gierha
Cuiusmodi honorando offero

VIRIS

*Virtute, & antiquâ generis prosapia Nobilissimo,
dignitate, auctoritatèq; splendidissimo*

DN. ERICO ROSÆCRANTZIO,
Domino hæreditario de Rosenholm &c.

Maximi & Illustrissimi Herois

DN. HOLIGERI ROSÆCRANTZII,
FILIO MAXIMO,

Potentissimi item Daniæ Principis per Territorium
Lollandorum Haldstedense, Præfecto honoratissimo,
Patrono, & Fautori suo suorumq; summo.

NEC NON

*Reverendâ dignitate Eminentissimo, Amplissimo,
& Excellentissimo,*

DN. JOHANNI MICHAELIS,
SS. Theologiæ Doctore celebratissimo, itemq; Dioceseos
Fionienfis Episcopo gravissimo Promotori suo & Fautori su-
spiciendo, æstimando.


UT ET

DN. NICOLAO NICOLAI,
Reipublicæ Naxschovviensis Consuli designato, Parenti
suo quovis filialis observantiæ cultu prosequendo, colendo.

*Disputationem hanc Theologicam humilimo
studio dedicat & offert.*

JOANNES NICOLAI F.
Naxschovvio-Danus.





בנה

APHORISMUS I.



Vanta felicitas toti generi humano collata erat per creationem primi hominis, tanta miseria postmodum & perniciēs in totum mundum redundavit per ejus lapsum & inobedientiam. Sicut enim Adam acceperat dona naturæ, imaginem DEI viventis, omnemq; vitæ & gratiæ abundantiam, non pro se tantum, sed pro omnibus posteris suis; ita quoque ejus maledictio, mors & corruptio, concernit omnes & singulos homines, qui ex ejus corruptâ naturâ originem trahunt.

Miseria totius generis humani ex lapsu orta.

Scimus pro dolor, aut certè debemus novisse, quod quæcumq; lex dicit, his, qui in lege sunt, dicat: ἵνα πάντ' ὁμοῦ σφραγῆ καὶ ἀπόδικθῆ γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ θεῷ. Roman. 3. 19.

Quid verò dicit lex,

מעץ הרעת טוב ורוב לא תאכל ממנו כי ביום אכלת ממנו מות תמות:

De arbore scientiæ boni & mali ne comedas. In quocumq; enim die comederis ex ea, morte morieris. O severissima sententia: quæ omnes tenet obstrictos, qui sub lege sunt, omnes redarguit, damnatq; legis transgressores. Indè diaboli è cælo deturbantur, & perpetuæ maledictioni subjiciuntur Genes. 3. Indè homines lapsi denuntantur penitens, & privantur omni bono, ut pudore suffundantur, expavescant, & fugiant à Creatore suo. Maledicuntur in terra, & rei mortis condemnantur Genes. 3. 7. & seqq. Hinc per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors: & sic in omnes homines mors pervasit, in quo omnes peccaverunt: Unius delicto multi mortui sunt: per unius delictum mors regnavit in condemnationem Roman. 5. vers. 12. 15. 12. 19. & c. Indè omnes sunt sub peccato, ut scriptum est: non est justus, ne unus quidem Roman. 3. 10. seqq. Etenim qualis est terrenus (Adam) tales sunt terreni, & omnes imaginem

terre-

terreni portant 1. Corinth. 15. v. 48. 49. Qualis est illa imago? peccatrix
 est, DEI imagini adversa Genes. 5. v. 3. Adam genuit filium ad ima-
 ginem & similitudinem suam. Indeque est caro rebellans Genes. 6. v. 3.
 Quæ propterea excludit omnes à regno gratiæ & gloriæ Joban. 3. vers. 3.
 & 6. 7. Nisi quis natus fuerit à supernis, non potest videre regnum Dei
 τὸ ἡνωμένον ἐκ τῆς οὐρανῶν, οὐκ ἔστι. 1. Corinth. 15. vers. 20.
 Caro & sanguis regni DEI hereditatem consequi non possunt, neque
 corruptio incorruptibilitatis hereditatem accipit. Hinc omnibus mi-
 feriis calamitatibus, & maledictioni terræ exponuntur homines.
 Quæ tamen omnia mala πρώτως non à Deo Creatore aut abso-
 luto Dei decreto, originem trahunt, sed à pravâ deficientium Ange-
 lorum & hominum voluntate & malitiâ. Ose. 13. 9. Sap. 12. 15. uti supra
 exposuimus. Quam in rem eruditè scribit Prosper lib. sentent. ex
 August. in 303. DEUS justus est, peccato quisque perit suo. Ipse
 quem morte dignum sentit, occidit, creando non instituit homi-
 nem mortalem, judicando punit peccatorem. Similiter docet
 Hieronymus in Commentar. sup. Tbren. Jerem. ad cap. 3. Mala, quæ
 nulla sua naturâ subsistunt, à Domino non creantur, sed, creante se,
 mala Dominus judicat, cum res bene conditas, nobis malè agentibus in
 flagellum format. Religiosè Augustin. in art. sibi falsò impos.
 art. 2. Omnium quidem hominum DEUS creator est, sed nemo ab
 eo ideò creatus est, ut pereat: quia alia causa nascendi, alia pereundi
 est. Ut enim nascantur homines, beneficium est: ut autem pereant,
 prævaricationis vitium est. Item lib. de essent. divinit. cap. 4. & 5.
 Animæ mortem, quæ per peccatum est, non fecit DEUS ullo modo.
 Cæterum observes ex Tertulliano lib. 2. adversus Marcionem cap.
 14. p. 375. quod jam olim fuerint hæretici, qui Deum omnium pec-
 catorum & scelerum fecerint autorem, quos ibid. redarguit, di-
 stinguendo mala culpæ à malis poenæ. Mala dicuntur & delicta
 & supplicia, quas malorum species ita confundunt hæretici, ut & mali-
 tiæ autor DEUS renuncietur. Nos autem, inquit Tertull. adhi-
 bita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti & malis
 supplicii, malis culpæ & malis poenæ, suum cuique parti defini-
 mus autorem. malorum quid. peccati & culpæ, diabolum. Ma-
 lorum vero supplicii & poenæ DEUM &c. Tum scilicet agit DEUS, ut
 justus Judex delicta præcedentia puniens, de qua re suo loco fusius.

II. Nihil

II. Nihil boni, nihilq; virium remansit in homine perdito, quo quidem emergere rursus ex contractâ labe, aut eluctari tandem ex omni pernicie, seq; in meliorem recipere statum potissit.

Etenim totus aversus est à DEO, unico summo bono. Gen. 3. vers. 8. Cum audivissent vocem Domini Dei de ambulantis in Paradiso ad auram dici, abscondit se Adam & Uxor ejus à facie Domini DEI, in medio arborum Paradisi. Synac. 10. v. 14. Defecit à Deo: & ab eo qui fecit ipsum recessit cor ejus. Esa. 59. v. 2. Iniquitates vestrae diviserunt inter vos & DEUM vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiat. Totus mortuus est in peccatis Ephes. 2. v. 1. Coloss. 2. v. 13. Cum essetis mortui per delicta & præputium carnis. Ut verò Æthiops non potest mutare pellem suam: Ita nec homo benefacere potest, nec quidem cogitare bonum ex se sufficiens est. Jerem. 13. v. 23. Num quid mutabit Æthiops pellem suam, aut pardus maculas suas? vos quoque poteritis benefacere assueti malefacere. 2. Cor. 3. v. 5. Non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis: verum si ad aliquid idonei sumus, id ex DEO est.

וְכָל יֶצֶר מִדְּשַׁבְּתָא לְבוּ רַק רַע כָּל הַיּוֹם. Genes. 6. vers. 5. Unde omnes gentes habent obscuratum intellectum & alienati sunt à vita DEI Ephes. 4. vers. 17. 18. Ne posthac ambuletis quemadmodum & reliquæ gentes ambulant, in vanitate mentis suæ: & mentem obtenebratam habent, ab alienati à vitâ DEI propter ignorantiam, quæ est in illis, & excæcationem cordis eorum.

Quapropter nullum est principium in corrupta hominis natura, quo possit se elevare in priorem, seu in meliorem statum.

III. Intellectus hominis initiò corruscabat planè, plenus fulgore Sapientia, post autem occupavit eam cæcitas summa, tenebrarum abyssus, adeò ut in spiritualibus non modò nihil percipiat, sed & stultitia ipsi sint omnia & abscondita.

Sic disertè dicitur 1. Corinth. 2. v. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI, stultitia siquidem illi sunt, καὶ ὁ δυνάσται πῶς οὐκ ἔτι πνευματικῶς ἀναρροῦνται. 1. Corinth. 1. vers. 19. 20. 21. Ubi Sapiens? ubi scriba? ubi conquistator seculi hujus? Nonne insuavis

tuavit DEus sapientiam mundi bujus? Nam postquam in sapientia DEI, non cognovit mundus per sapientiam Deum: visum est DEO, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Rom. 8. v. 7. Prudentia carnis inimicitia est adversus Deum: Nam Legi Dei non subjicitur, nec potest quidem.

Ita Eva quàm primum à verbo Dei averfa erat, subito ipsi dubium videbatur Dei verbum, ac rationi porrò indulgens, defecit prorsus Gen. 3. v. 3, 4, 5, 6. Hinc est diffidentia & incredulitas Mosis. Num. 11. v. 21. Sexcentorum millium peditum est Populus, in cujus medio ego sum, & tu dicis, carnem dabo eis, & comedent. Cap. 20. v. 12. Dixit Dominus ad Mosen & Aaron: Quia non credistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.

Gehasi Prophetæ Elisæi ministri 2. Reg. 4. v. 43. Quantum est hoc ut apponam centum viris?

Satrapæ illius aulici 2. Reg. 7. v. 2. agentis: Si Dominus fecerit etiam catarractas in Cælis, nunquid poterit esse quod loqueris?

Discipulorum Christi Marc. 6. v. 37. cap. 8. v. 16, 17, 18. disputant illi inter se dicentes: Panes non habemus. Et eo cognito Jesus, dicit illis: Quid disputatis, quod panes non habetis? nondum animadvertitis nec intelligitis? adhuc obæcatum habetis cor vestrum? Oculos habentes non cernitis? & aures habentes non auditis? & non meministis cum quinque panes fregissem in hominum quinque millia & c.

Petri Matth. 14. v. 30. Qui cum videret ventum validum, territus est; & cum cœpisset demergi, clamavit dicens: Domine, serya me. Κύριε σώσον με.

Philippi fratris Simonis Petri Joh. 6. v. 7, 9. Qui respondet Domino: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque pusillum quippiam accipiat. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordaceos & duos pisces: Sed hæc quid sunt inter tam multos.

Lamen natura.

IV. Lumen tamen Naturæ aliquantillum superest, quo cognoscere Deum quadantenus, eumque colere & quærere possumus, non pauci quoque è Gentilibus eum agnoverunt, tanquam Creatorem omnium, Supremum Dominum, boni remuneratorem, & scelerum vindicem, uti suprâ notavimus de Notitia Dei Naturali.

Sic

Sic Paulus Act. 17. v. 24. seqq. revocat Gentes ad opera mundi, ut inde verum Deum agnoscant: DEus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus non in manufactis templis habitat &c. Quare distingunt Orthodoxi inter lumen naturæ & gratiæ. Quod duplex lumen sæpè ac graviter inculcat Lutherus in Concion. sup. cap. 1. Johan. & explicat. textus: Vita erat lux. itemq; in Conc. sup. Jonam. v. 5. Eleganter scribit Chytræus de Decalogo & notitia Dei: Ut in oculis lumen est, quo res propositas aspicimus, & colorum discrimina dijudicamus: Ita in mentibus lux quædam divinitus insita, quæ res, quales sunt, intelligimus & quasi aspicimus, & quæ discrimen virtutum & vitiorum cernimus, & actiones regimus. Hoc lumen in mente, quo Deum agnoscimus, & Dei essentiam ac voluntatem in Decalogo, veluti in imagine, expressam aspicimus, vocatur Notitia DEI. Solch Liecht vnd verstandt ist in aller Menschen Herzen; scribit Lutherus rom. 3. Jen. German. pag. 204. In. Exposit. Jon. cap. 1. v. 5. Vnd lest sich nicht dempffen noch löschen. Es sind wol etliche gewesen / als die Epicurer, Plinius vnd der gleichen / die es mit dem Munde leugnen: aber sie thuns mit Gewalt / vnd wollen das Liecht in ihren Herzen dempffen / thun wie die so mit Gewalt die Ohren verstopffen / oder die Augen zuhalten / daß sie nicht sehen noch hören / aber es hilfft sie nicht / ihr Gewissen saget ihnen anders; den Paulus leugnet nicht / daß Gott hats ihnen offenbahret / daß sie von Gott etwas wissen. Vocatur quoq; *Lex natura*, & *Naturalis*, non quidd. *effectivè* quasi ab humana demum naturâ sit inventa, sed *subjectivè*, quòd humanæ naturæ primitus indita, & post lapsum in ea relicta fuerit Rom. 2. Quæ lex quoad moralia, quoad indicationem & prohibitionem turpitudinis v. g. in mendacio, furto &c. nõ differt à *Lege divina* & *Mosaicâ*, sed est particula Legis illius æternæ de justitiâ, sanctitate, &c. quæ mentibus Protoplastarum insita fuere Ephes. 4. v. 24. Videatur Chemnitius in *Loc. Theolog. de Lege Dei & Naturæ* cap. 8. & 9. Hutterus in *Locis Theol. articul. de Legibus*, cap. 2.

Lex natura.

V. Et certè in Naturalibus & Moralibus rebus, quæ vitam terrenam seu inferiorem mundum concernunt, non exiguum est, quod lumine naturæ seu donis naturalibus homo potest investigare, atque excolere, ut notissimum est ex tot artium, scientiarum & discipli-

discipli-

sciplinarum inventis, quibus hodieque totus mundus gaudet, & Scholarum praesertim pulpita personant clarentque.

Certissimum est, quod ex Lumine naturae profluxerint discrimina honestorum & turpium, καὶ ἀγαθὰ ἐννοίας, communes de aequo & bono notiones, innatae notitiae, prima quoque Philosophiae tam Rationalis quam Naturalis & Moralis principia. Recte monet Lutherus in Concione super cap. 1. Johan. quod homo insigni praeditus sit lumine intellectus, der Mensch/ inquit, ist sonderlich begabet mit den herrlichen Liechte der Vernunft vnd Verstandes/ daß die Menschen so viel edler Künste erdacht vnd erfahren haben/ es sey Weißheit/ Behendigkeit oder Geschicklichkeit. In Concione super Ion. vocat magnum lumen. *Inde ortum trahunt principia Speculativa, utpotè notitiae numerorum, ordinis, Syllogismi, Geometrica & Physica dogmata. Inde pendent principia Practica, & elementa juris naturalis, qualia sunt, Deum timere, honestè vivere, neminem ledere, suum cuique tribuere. Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris &c.* Inde orta est tota doctrina Ethica & universa gentilium νομοθεσία, quae aliquem Dei cultum sancit & cum primis hominem circa vitae honestatem & probitatem haud incommodè informat. *Grati proinde agnoscamus illud beneficium,* monente Chemnitio part. 2. Loc. Theol. de lege Dei & naturae cap. 9. *quod Deus non voluerit lucem Legis totam extinctam post lapsum, sed voluit reliquias quasdam superesse, ut inde discamus amare, venerari, & magnificare sententias morales legis naturae, ubicunque extent & legantur apud Poetas, Historicos, Philosophos, Legumlatores &c. quia sunt jus divinum, & veritas Dei divinitus patefacta. Ita Paulus non est veritus in gravissima causa ex Menandro citare sententiam 1. Cor. 15. v. 33. Φθίσουσιν ἡθὴ καὶ οὐμίλιας, κακὰ*

VI. Omnia verò Philosophorum & prudentum Gentilium instituta & dogmata ex naturae donis provenisse non facile dixerim, potius fatendum esse duco, multa quoque ex dono gratiae supervenientis & supernaturalis habuisse Gentilium sapientes, quo magis magisque illuminati fuerint.

De Platone refert Augustin. lib. II. de civitate Dei, quod bonitatem Dei in condendo mundo deprædicaverit, sed undè id Plato sciverit, non certò determinat. Plato, inquit, causam condendi mundum justissimam dicit, ut à bono Deo bona omnia fierent: sive ista legit,

Plato de
creatione
mundi.

rit,

rit, sive ab his, qui legerant, fortè cognoverit, sive acerrimo ingenio invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspexerit, sive ab his, qui ista conspexerant, & ipse didicerit. *Item lib 8. de Civ. Dei cap. 11. Scribit mirari quosdam, quòd Plato veritati religionis Christiane multum congrua tradat, indeq; putare, quod in Ægypto literas Propheticas legerit, & librorum Mosaicorum expertus non fuerit, tandem concludit, undecunque ista didicerit, sive ex Veterum libris &c. Re- Ètè autem docent Commentatores in Thomam ad primam secundæ quæst. 5. Pefantius, Valentia, Vasquez, aliique, quòd non solùm ad cognoscendum verum Theologicum peculiaris gratia Dei necessaria sit, ultra revelatam, sed quod ad cognitionem etiam multarum veritatum naturalium tam Theoreticarum quàm Practicarum requiratur præter lumen naturale, altior & specialior quædam gratia DEI, quæ quidem præcisè non sit gratia Christi salutifera, sed tamen superior, quàm generalis ille influxus primi motoris: Naturalem autem intelligendi capacitatem restringunt tantum ad veritates speculativas, quæ ex sensibilibus deduci possunt. Exempli loco adferunt numerum stellarum, proprietates cælorum, quadraturam circuli, & multa alia necessaria, ad quæ requiratur superior facultas cognoscendi, quàm communis omnium hominum. Appareat id in Behaleel Exod. 31. v. 3, 4, 5. quem implevit spiritus Dei scientiâ & intelligentiâ & scientiâ in omni opere, ad excogitandum quicquid fabre fieri potest ex auro & argento & ere Marmore & gemmis & diversitate lignorum: in Hiram 2. Chron. 2. v. 13, 14. qui noverat operari in auro & argento, ere & ferro & marmore & lignis, in purpura quoque & hyacintho & bysso & coccino, &c: in Salomone, quantum ad speculativam scientiam attinet, de rebus Physicis, lib. 1. Reg. 4. v. 31, 33, 34. Erat sapientior cunetis hominibus: Sapientior Etham E-tzrahite & Heman & Chalchol & Dorda, filiis Mabol, & erat nominatus in universis gentibus per circuitum. Et disputavit super lignis à cedro quæ est in libano, usque ad byssopum, quæ egreditur de pariete: & differit de jumentis & volueribus & reptilibus & piscibus, & veniebant de cunetis populis ad audiendam sapientiam Salomonis. Hæc illi. Por- rò Augustin. lib. 4. de Civitat. DEI cap. 31. de Varrone scribit, eum Augustinus conclusisse tandem, illic verum Deum coli, ubi unus sine statuis & de Varrone. imaginibus colatur, eum à Judæis verè coli, atque si hoc Romani*

B

imi-

imitati fuissent; castius religionem observassent. Syracusanus Philemon Alexandri Magni coætaneus ait: *Si quis putat se taurorum caesa multitudine, aut cervorum vel auri, eboris aut smaragdorum dicato pondere Deum redditurum sibi benevolum, errare eum omnino & levem mentem habere: eum enim virum bonum esse, qui virgines non corrumpat, non mœchetur, non furetur, non occidat, non aliena concupiscat, sive uxorem, sive domum, sive possessionem, sive servum, ancillam, aut quicquam omnino &c.* Item Plato, Jamblichus, Epictetus, Simplicius, Seneca senserunt, scopum religionis esse hominis evectionem ad Deum, animam ab omni macula puram Deo offerra, ita enim fore ut anima post hanc vitam cum Deo habitet. Cujusmodi plura alia citat Mornæus in lib. de veritate Religionis cap. 20. Quæ sanè omnia & alia axiomata non videntur deducta esse ex puro naturæ lumine, sed potius concessa ex alia superiore gratiâ præveniente, quæ mediante institutione aut lectione è rebus sacris mixta elevaverit lumen naturale ad ulteriorem scientiam. De quibus omnibus eruditè disserit Dn. D. *Hilfeman. disput. 2. de gratia Conv. lit C. & disput. 3. lit. E. & seqq.*

Verissimum certè est, quod Rungius in disput. 2. sup. Epist. ad Rom. scibit: *Aliqui semper fuerunt, etiam inter Ethnicos, qui singularibus & heroicis donis instructi in disciplina externâ præstandâ fuere promptiores ceteris, & alieni ab insanis confusionibus vulgi, ut Aristoteles, Plato, Lycurgus, Solon, Scipio, Cato &c. qui reliquis exemplo fuerunt, & virtutis præmia vel in hac vita sunt consecuti, vel post mortem mitiore damnationis sensu experientur.*

VII. Præterea voluntas hominis itidem aversa tota est à Deo, & ad malum adeò determinata, ut ex se non possit ullo modo velle seu appetere denuò, & desiderare bonum, unde excidit, quodque peccando perdidit, sed prona ubique pravo fertur appetitu in malum, avertatur supremum bonum, Deoque rebellat pessimè.

Rom. 8. v. 5, 6, 7, 8. Qui carnales sunt, quæ carnis sunt, curant: at prudentia carnis inimicitia est adversus Deum: Nam Legi Dei non subditur, ne potest quidem. Qui verò in carne sunt, Deo placere non possunt, prudentia carnis mors est. Cap. 7. v. 5. Cum essemus in carne affectus peccatorum, qui erant per legem, operabantur in membris nostris ad fructificandum morti. Cap. 3. v. 12, 13. Omnes destiterunt, simul inutilis

les

les facti sunt, non est, qui exerceat bonitatem, non est usq; ad unum. Sepulchrum apertū guttur eorum: linguis suis ad dolum usi sunt: venenum aspidum sub labij, eorum. Matth. 7. v. 16, 17, 18. A fructibus eorum agnoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvam, & de tribulis ficus. Mala arbor fructus malos facit; Non potest arbor mala fructus bonos facere. Jerem. 12. v. 9. עקב הלב מכל ואנש הוא מי ידענו. primum est cor hominis super omnia & inscrutabile (perversum, mortiferum) quis cognoscet illud? Unde patet sane, quod homo non renatus, ex carne natus, ex se non possit velle aut desiderare bonum, unde excidit, quodque per lapsum amisit. Notanter loquor de bono, unde excidit homo, quod summum est, Deus Opt. Maxim. & fruitio Dei seu beatitudo spiritualis, itemque concreata hominis bonitas atque integritas. Ad ejusmodi bonum nequit voluntas hominis corrupti ex viribus suis adspirare, sed aliunde juvetur atque redintegretur necessum omnino est.

VIII. Liberum igitur planè nullum est hominis arbitrium *Servum arbitrium.* in rebus divinis & spiritualibus sive intelligendis sive appetendis, & consequendis, sed omnino servum, non vulneratum modò aut alligatum & attenuatum, sed perditum prorsus, atque extinctum.

Johan. 8. v. 34. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* O miserabilis servitus, ingemiscit August. super h. l. plerumque homines, cum Dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes Dominum non habere, sed saltem mutare, servus peccati quid faciat? quem interpellet? apud quem se venalem petat? Deinde servus hominis aliquando sui Domini duris Imperiis fatigatus fugiendo requiescit; servus peccati quò fugiet? secum se trahit quocunque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est, quò eat, sequitur se, imò non recedit à se: peccatum enim, quod facit, intus est. At verò naturâ omnes peccati servi sumus. Rom. 6. v. 20. 16, 19. *An nescitis, quod cui accommodatis vos ipsos servos ad obediendum, ejus servi estis, cui obeditis sive peccatis ad mortem, sive obedientie ad justitiam.* Humano more loquor propter infirmitatem carnis vestrae, quemadmodum enim præbuisistis membra vestra serva immunditiae & iniquitati ad aliam atque aliam iniquitatem: Sic & nunc præbete membra vestra serva justitiae ad sanctificationem. 2. Petr.

2. v. 19. *Servi sunt corruptionis. Siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus.* Sic Paulus ait Rom. 7. v. 14. *Se vendatum esse sub peccato.* Augustinus vocat captivum arbitrium lib. 3. *contra Epistol. Pelagii cap. 8.* Liberum inquit, arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet. *Item serm. 2. de verbis Apostoli scribit: ad malè agendum habes sine adiutorio DEI liberam voluntatem, quanquam non est illa libera: à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est, & omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Item lib. 3. *contra Julianum: Vultis hominem perfici atque potius servo propriæ voluntatis arbitrio.* Porro in *Enchiridio ad Laurent. cap. 30. prolixè differit de amisso libero arbitrio, & de Servitute peccati: Nunquid (homo) meritis suorum operum reparari potest? Absit. Quid enim boni operari potest perditus; nisi quantum fuerit à perditione liberatus. Nunquid libero voluntatis arbitrio? & hoc absit. Nam cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est & liberum arbitrium.* Item cap. 106. *scribit: Post illam ruinam major est misericordia Dei, quoniam & ipsi liberum arbitrium liberandum est à servitute. Cui dominatur cum morte peccatum. Sicigitur Catholica Ecclesia jam olim asseruit Servum arbitrium. Observa verò 1. quod hic unicè questio sit de rebus spiritualibus & divinis, quales sint: Verbo DEI audito & Evangelio assentiri, ad Deum converti, indubitata fiducia in Deum recumbere, Deum in spiritu & veritate invocare, peccata seriò de testari, in emendationem vitæ fervido studio conuerti, venire ad Christum, in Jesum Christum credere, vivere secundum spiritum, ad vitam denique æternam jugiter adspirare. Secus se res habet in Naturalibus, Moralibus & Civilibus rebus, ut ordine docebimus. Observes. 2. De bonis consecrandis & prosequendis, nec non de peccatis evitandis hic questionem esse, non de malis concupiscendis vel perpetrandis.*

IX. Vox liberi arbitrii complectitur tum mentis iudicium in discernendo verum à falso, tum voluntatis libertatem in eligendo bono, & reprobando malo.

Lombardus lib. 2. sententiarum distinct. 24. docet liberum dici quantum ad voluntatem, quæ ad utrumlibet flecti potest (imò etiam se flecte-

flecte-

flectere potest) *arbitrium verò, quantum ad rationem, cuius est facultas vel potentia illa, cuius etiam est discernere inter bonum & malum: & aliquando quidem discretionem habens boni & mali, quod malum est eligit, aliquando vero, quod bonum est.* Ubi communiter notare solent 1. Ipsam mentis & voluntatis humanæ essentiam, *quæ omninò post lapsum in homine residua est*, cuius actiones se spontè exerunt in humanis consiliis, studiis, atque negociis. Hoc sensu dicunt *cum August. lib. de Gratia & Libero arbitrio cap. 2. Est liberum arbitrium quod quisquis negaverit esse, Catholicus non est.* 2. Potentiam & vires Liberi arbitrii, ut sunt activæ facultates intelligendi, volendi, judicandi, discernendi, nec non appetendi, eligendi & exequendi. *De hisce tanquam principio agendi naturali tota lis esse, atque disputatio, sicq; de libero arbitrio hic controverti videtur.* Sed remotis vocum litigiis, Catholica fides est, Deum dare & libertatem & vires volendi, *Phil. 2. v. 13. Christus liberat nos à servitute, ut verè liberissimus. Johan. 8. v. 36. libertas nulla est, ubi servitus peccati est, cum ea duo invicem opponantur. 2. Petr. 2. v. 19.* Augustinus porrò *libr. de Spiritu & liter. cap. 33. querit.* Utrum voluntas illa, quâ credimus, etiam sit donum Dei, & *urget illud Apostoli, quid habes, quod non accepisti &c. Tandem concludit, profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos.* Item in *Enchirid. ad Laurent. c. 32.* Sic dictum est ab Apostolo, non est currentis, nec volentis hominis, sed miserentis Dei, *ut totum Deo detur, quod hominis voluntatem bonam & preparat ad juvandum & adjuvat preparatam. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit &c.*

X. Aliud vero est exercitium actus liberi, aliud principium intrinsecum liberè agendi. *Illud est actio voluntaria & libera: Hoc vero est causa & vis volendi.* Liberam actionem omninò agnoscimus, atque profitemur, etiam in ipsis spiritualibus operationibus.

Volens enim credit homo, non nolens, non invitus, non coactus, *ut operosè inculcat Augustin. multa, inquit, homines nolentes agunt, sed credere nisi volens nemo potest.* Conferatur *Commentarius August. super Johannem ad cap. 6. tract. 26.* Sic ergò in ipsa confessione

eius cognitio mens cogitat, cogitando assentitur, voluntas desiderat, & desiderando credit. Verum enim verò religiosè attendendum est, quodnam ibi principium agendi sit & causa liberae actionis. Hoc dicimus supernaturale esse in supernaturalibus actionibus, v. g. in admissione motus divini & in assensu fidei. Augustin. in Enchiridio cap. 106. Solà Dei gratiâ liberamur à servitute peccati, ut voluntas ipsa à Domino præparetur, qua cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum. Plura videantur ibid. cap. 30. 31. 32. & c.

XI. Naturale agendi principium est potestas liberi arbitrii, quæ in malis perpetrands & respuendis bonis non minima est, sed in eligendis aut perficiendis bonis, ubi ubi est, ibi tum per se languida nimis est, tum magis magisque labefactatur per externa objecta Mundi, & Satanæ suggestiones.

Libertas in malis.

De malis constat satis, quòd homo per naturalem generationem & naturâ sit caro, carnalis, in carne ambulet, indeq; sapiat ea, quæ carnis sunt Rom. 8. v. 5. seqq. Hinc mundus totus in malo constitutus est 1. Joh. 5. 15. Omne quod est in mundo (veluti concupiscentia carnis & Concupiscentia oculorum, fastus vitæ) non est ex Patre, sed ex mundo 1. Joh. 2. v. 16. pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorum mens & conscientia. Deum profitentur se scire, sed factis negant, cum sint abominabiles & dicto non audientes, & ad omne bonum opus reprobi Tit. 1. v. 15. 16. Capti à Diabolo ad ipsius voluntatem 2. Tim. 2. v. 26. Versentur in libidine gentium ἀσελγείαις, ἰπιδυμίας, ἀνοφλυγίαις κώμας, πότοις & c. 1. Petr. 4. v. 3. in quibus aliquando ambulastis juxta seculum mundi hujus, juxta Principem, cui potestas est aëris, & spiritus nunc agentis in filiis contumacibus Ephes 2. Ita ergò in malis satis potens est liberum arbitrium, sed in bonis exequendis longè aliter se res habet.

Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata. Quis est, qui quandoque non fateri cogatur cum Medæa illa:

Video meliora, probog;

Deteriora sequor.

Quemadmodum enim animam aggravat corpus corruptibile, & terrena inhabitatio deprimit sensum sollicitum, ὡς πολυφροσύνη, mentem curis multis distractam, Sap. 9. v. 15. Ita voluntatem

tem

tem quoque & Libertatem hominis non minus constringit, nec liberè finit in suis actionibus versari, cum primis ingenti onere deprimit eam, ne liberè possit attolli ad res supernas. Quod enim ex humo tractum est corpus, & rebus victitat, quæ sunt humi, serpere humi cogitur, adhærere ventre in terrâ, oculos declinare in terram. *Quam in rem multa & egregia differit Plato in phædone p. 378. & seqq. Itemq; in Cratylo non inscitè loquitur, σῶμα velut carcer τῷ ζῳεῖ animā, & hæc in ipso est, ceu ἐν σῶματι, donec tradatur terreo σῶματι.* Quantum hoc iugum sit, & quantum pondus piè admodum interpretatur Gregorius lib. 8. Moral. c. 18. & 22. Cogitationes, inquit, terrei corporis ascendunt, & animam occupant, aggravantq;, & impediunt, ne divina saliva de capite nostro quod est Christus, decidens in os glutiat, hoc est, perfecta mente concipiatur, tanquam sinu ventris & satiet. Etiam Sancti quiq; id experiuntur, & onere tanto pressi suspirant, *quis me liberabit de corpore mortis hujus. Roman. 7. v. 24. Cupio dissolvi & esse cum Christo Phil. 1. 23.* Ità nimirum caro nostra infirma est *Matth. 26. 41.* Quinimò concupiscit adversus Spiritum *Gal. 5. vers. 17.* adeò ut Apostolus rursus inde conqueratur, se carnalem esse, nec facere bonum, quod vult, sentiatque in carne suâ legem repugnantem legi mentis *Roman. 7. vers. 23.* Rectè igitur Cassianus in collatione 23. super b. l. confitetur: Impossibile esse menti, quæ tam crebris carnis distenditur molestiis tam variis angoribus præpeditur, divino frui semper intuitu, etiam illo momento, quo Deo supplicat &c. *Hoc est illud iugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris usq; in diem sepulturæ. Syr. 40. donec hoc corruptibile induat incorruptibile 1. Corinth. 15.*

XII. Interim Liberam agendi potestatem habere hominem in naturalibus rebus, moralibus actionibus, & in civilibus negotiis certum omninò est, quam Doctores Ecclesiarum nostrarum etiam antè exhibitam Augustanam Confessionem publicè docuerunt, nec LUTHERUS eam negavit. *conferatur artic. 18. Augustanæ Confessionis.*

XIII. Sed & circa res externas quascunque, etiam Sacras, homo eam habet libertatem, ut possit accedere Ecclesiam visibilem vel non, ingredi templum, vel non, audire verbum Dei vel non, meditari, discere, vel non.

Hinc

Hinc multi querunt verbum Domini, & non inveniunt Amos. 8.
 v. 11. 12. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & emittam famem in terram?
 לֹא דַעַלְלַחְסוּרָא צַמָא לְמִים כִּי אִם לְשִׁמְעֵ אֵת דְּבַרֵי יְהוָה:
 Et commovebuntur à mari usque ad mare & ab Aquilone usque ad
 Orientem; circumibunt quærentes Verbum Domini, & non invenient.
 2. Timoth. 3. vers. 1. 2. 3. 7. Illud scito, quod in extremis diebus instabunt
 tempora periculosa. Erunt enim homines sui amantes, avari, fastuosi,
 superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impii: carentes affe-
 ctu, nescij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes
 bonorum: Semper discentes, nec unquam ad cognitionem veri-
 tatis venire solentes. Conferatur Dn. D. Brochmannus in Locis Theo-
 logicis tom. 1. de Libero arbitrio cap. 1. sect. 6.

XIV. Et quidem voluntas hominis verè libera est & immu-
 nis tum ab omni coactione extrinseca & intrinseca, tum à neces-
 sitate & determinatione Dei flectentis, aut persuadentis. Nequa-
 quam enim in actionibus suis voluntas vel necessitatur, vel influentia
 quadam arcanâ flectitur, vel ita persuadetur à DEO, ut non possit
 aliter agere. Etenim posito influxu Dei, adeoq; omnibus requisitis
 presentibus, homo potest agere, & non agere, vel aliter agere, ut supra
 demonstravimus.

XV. Etiam verò undiquaque evidens non est, nec difficul-
 tate caret, quantum ratio naturalis valeat in cognoscendo Deo,
 aut quousque se penetret in cultu divini numinis, id tamen certò
 constat totum illud, quod eximium potest 1. Ex reliquiis imaginis
 divinæ superesse, atque ex benevolo Creatoris indultu & benigna
 quadam ordinatione ac concessione mansisse. 2. Directè non fa-
 cere ad conversionem hominis, nec ejus partem, nec causam esse,
 sed tantùm disponere subjectum convertendum, ut media conver-
 sionis, ejusq; primam gratiam admittere possit, & sic passivè capax
 sit conversionis. Aliàs enim homo converti non posset, & fieret
 progressus in infinitum, & quavis primâ gratiâ requireret aliam
 priorem, quæ introducat receptivitatem gratiæ primæ in subjectum
 convertendum.

Impe-

Coll. diss. A. 215, misc. 30